

extremum juvenis opes. confessionis et communonis ab infestatione hostis liber quidem fuit, syngrapham tamen suam, quam illi dæmon de fastigio templi ex ingenti fune dependentem repræsentarat, nondum obtinere potuit. Decima igitur die junii patres societatis: « Domi se rursus contra inimicum armant quibus modis novit societas. Juvenis quoque ne sibi deesset, tota die cilicium gestat, et se sub vesperam sponte flagello acriter diverberat. Ingens rursus tum eo vespere, tum noctis magna parte ventus collegium impetit. Ante undecimæ noctis adest inimicus alio aliave comitatus, et per cubiculum, in quo cum aliis tribus juvenis cubabat, deambulans: Cernis (inquit ad sociam, nam saga quæpiam existimatur) ut jacet hic nequam? Et rursus: O si aliter rem meam instituissem, non esset hunc sortita finem. Ante octiduum pene me abegisset (patres intellexit). Interim tibi hominem commendo, eum quantum licuerit assidue divexa. Et conversus ad juvenem fremebundus: Perfide nebulo, homoque levissime et inconstantissime, nunquam fidem mihi servastis; o pectus ignobile ac degener. Majores tui maluissent centies corporis animæque facere jacturam, quam vel semel datam fidem violare. En tu habe, quæ mihi dederas: ego vicissim, quod meum est reservabo. Et hoc dicto, bis aut ter juvene audiente strepitum fecit, velut cujuspiam aliquid e charta eradentis. Et rursus sociæ: Pergam ad locum mihi constitutum, tu interim hujus curam habeto. Rursusque juveni: Et existimas, perditæ nequam, fore meas manus ut evadas? Coactus nunc tibi tua restituo. Tu interim et jesuitæ nebulones me posthac a stultis confictisque cæremoniis vestris liberum esse sinitote: quod enim tuum sit, nihil omnino habeo. licet plurà longe posthac ex te sim accepturus. Fides enim quam suscepisti iniqua est, et per papas (quos vos veluti sanctissimos colitis, ego autem in inferno tracto pro merito) conficta. Quibus dictis et manu frigidissima juvenis collo sine omni læsione contrectato, evanuit. Ad omnia hæc juvenis nihil respondit, excepto hoc unico; videlicet, ut abiret, habere se Deum propitium. Inter hæc juvenis cæteros in cubiculo altum dormientes suscitare conabatur, eorum nomina inelamans; quorum unus æger vocem audit, prosilit in pedes, et ad alterius sani lectum accedens eum excitat. Hic ignem excutit e pilice, sulphur accendit, sed priusquam candelæ admoveret, violenter ab aliquo extinguitur, idque secundo: accendit tertio, jamque candela lumen conceperat, cum simul et semel materia sulphurata candelæque restinguuntur. Tandem venit homini in mentem ut cereum

benedictum accenderet; accendit, nec amplius valuit restingui. Habito lumine inimicus evanuit, et quamvis semel ac iterum dixisset, se juveni restituere omnia quæ ipsius essent, nihil tamen ab eo juvenis receperat. Componunt igitur se ad orationem et qui lumen accenderat, ante imaginem B. Virginis litanias recitat, ante imaginem B. Virginis litanias recitat. Post mediam circiter horam surgens videt humi jacere chartam sanguinolentam, attollit, eique porrigit, cujus erat chirographum. Hic agnito suo chirographo gestire lætitia cepit, exoseculari illud et pectori admovere: et illico Deo omnes simul agunt gratias, et quatuor simul (tot enim erant) recitant Te Deum laudamus. Et, ne forte dæmon illud recuperare posset, signo crucis muniunt, aspergunt aqua benedicta, et corona B. Virginis circumligant. Placuit tandem serenissimo principi Ferdinando archiduci, (nunc Romanorum invictissimo imperatori) et reverendissimo episcopo Secoviensi, ut series tota et processus pro concione populo proponeretur, quod factum est 18. junii a meridie, et ipsum chirographum una cum sanguine, quo alterum descriptum erat, in templo soc. Jesu per parochum Grætiensem, jussu episcopi, in magno hominum concursu, et frequentia combustum fuit. »

CONCIO II.

QUATUOR MUNIA SPIRITUS SANCTI PRINCIPALIA.

I. Paraclitus seu consolator est: 1. Consolatur Ecclesiam ut sit fidelis. 2. Fideles ne succumbant in tribulationibus. 3. In via mandatorum Dei. 4. Ne quis animo concidat. — II. Arguit mundum de peccatis: 1. Per conscientie stimulum. 2. Per concionatores. 3. Per bona aliorum exempla. 4. Per clades et castigationes. — III. Docet omnem veritatem. — IV. Clarificat Christum.

THEMA.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. XVI.

Novimus Spiritum s. in die pentecostes sub specie ignis descendisse in apostolos. Et cur in specie ignis? Haud dubie, quia quod ignis corporaliter, hoc ipse præstat spiritualiter. Et quid facit ignis? Calefacit et fovet tempore frigoris, urit, illuminat, illustrat et splendescere facit, maxime corpora radiantia ut gemmas, aurum, etc. Totum hoc Spiritus s. facit ut ostendit hodiernum evangelium. Nam imprimis fovet, et consolatur in tribulationibus, unde dicitur Paraclitus: ecce ignem calefacientem. Secundo, arguit mundum: ecce ignem urentem. Tertio, docet omnem veritatem: ecce ignem illuminantem. Denique, Christum clarificat: ecce ignem illustrantem. Videamus singula.

Paraclitus est, seu consolator: et hoc præcipuum est; inde hanc appellationem Christus ei tribuit. Indigebat Ecclesia tali Paraclito, ob Christi sponsi sui absentiam: quem non nisi post mortem visura erat. Quomodo vero tam diurnam sponsi absentiam ferre posset sponsa, nisi divino aliquo consolatore confirmaretur? Deinde, ob gravissimas persecutiones, quas multo tempore toleratura erat ne deficeret. Denique, via cæli arcta est, multis difficultatibus obnoxia, multis latronibus obsessa, ne in tentationibus succumberet. Quare sicut mater infantem deserens, nutricem ei relinquit, et pater filium a se ablegans, pædagogum ei assignat, ita Christus ab Ecclesia recedens non reliquit eam orphanam, sed Paraclitum ei dedit.

Consolatur ergo Ecclesiam, primo: ut fidelis sit usque ad mortem, et patienter expectet beatam illam spem et adventum magni Dei. Cum enim fideles in vita sua non expectent mercedem, sed post mortem, nec videant eam oculis, sed sperent tantum: consolatur interim eos, ne deficiant animis, mittit enim illis subinde consolationem aliquam, sed per modum prægustus, non saturitatis: sicut cum aucupes falconibus carnem prægustandam offerunt, ut alacriores ad venatum reddant, non vero ut saturent. Dicit eis Spiritus sanctus repositam illis esse in cælo mercedem: pergant igitur, et augeant merita sua.

Secundo, consolatur fideles in afflictionibus et tribulationibus ne succumbant, sed præterea gaudeant in illis. Sic Andreas in cruce pendens, tanta perfundebatur consolatione, ut deponi nollet, et rogaret Deum, ne id permetteret; quia nimirum virtutem s. crucis agnovisset. Sic in trium primorum Ecclesie sæculorum persecutionibus misit subinde imperatorem, sub quo respirare possent: persecutores dicit afflixit et sustulit, aliisque plurimis modis eos consolatus est. Dicit eis Spiritus sanctus: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 1. Cor. X. et: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis,* Jac. 1. Dat subinde tempus respirandi.

Tertio, consolatur in via mandatorum Dei, et facit jugum Christi suave, quod prius horrebant et fugiebant. Ungit currum, ut facile et sine stridore trahatur. Unde S. Bern. ait: *Homines vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram.* Videtur in curru onus, sed non axium inunctio, quæ leve illud fecit. Unctio hæc est gratia adjuvans, exemplum aliorum et Christi, consolationes internæ, spes mercedis, etc.

Quarto, ne cum quis peccaverit, desperet sed recurrat ad Dei benignitatem quasi illi insurrens id Ecclesiastici, c. XXI. *Fili, peccasti? Non*

adicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur: et illud Salvatoris: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth. IX. et illud Dei, Isai. 1. *Venite et arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra et coccinum, quasi nix dealbabuntur,* q. d. peccata vestra etiam horrenda et gravissima dimittam, si feceritis opera charitatis; quod nisi fecero, venite et intendite mihi litem.

II. Arguit mundum de peccatis. Facit autem hoc multis modis. Primo, per conscientie stimulum. Hic enim instar canis excubitoris, alienos ingredientes domum, (peccata inquam, cor intrantia) allatrat, et stans præ foribus non desinit latrare contra domum, quousque illi egressi fuerint. Sic Gen. IV. dicitur Cain: *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit,* Hebr. *æcuu habet,* instar canis videlicet furem allatrantis et insequentis. Canis autem iste excitatur ad hunc latratum a Spiritu sancto, et signum est horum nimirum quod Spiritus sanctus velit repetere suum habitaculum et expellere hostem, peccatum: sicut cum quis dux perditam civitatem mox iterum obsidet et repetit, signum est, quod non facile eam in manibus hostium relicturus sit. Qui vero post peccata gravia latratum hunc non sentiunt, timere debent, ne a Spiritu s. omnino deserti, et in sensum reprobum traditi sint.

Secundo, per doctores et prædicatores, qui et ipsi canes vocantur in ss. litteris, et redarguunt velut canes muti, non valentes latrare, ab Isaia, capit. LVI. quando non arguunt peccata. Dum vero contra vitia latrant, multos impediunt, et retrahunt a peccatis; uti canes impediunt furto. Deinde, furto rem ablatam recuperant, dum peccatores ad penitentiam revocant. Denique saltem Dei justitiam elucidant, dum toties frustra reprehensos ostendunt dignissimos, qui a Deo puniantur. Quare si per hoc allatremur, habemus quod Spiritui sancto gratias agamus; siquidem ipse immittit in nos canes istos. Stulte igitur agunt, qui eos mordent, velut canis baculum quo percussus: ipsi enim instrumenta Spiritus sancti, et ad medelam nostram missi sunt. *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulentæ oscula blandientis,* ait Sapiens, Prov. XXVII. Quamdiu ergo tales supersunt qui nos arguant, tamdiu Spiritus sanctus a nobis non recessit. Hujusmodi canes erant Joannes Baptistæ, immissus in Herodem, Basilius in Valentem, Ambrosius in Theodosium, et in veteri lege Nathan in Davidem, Elias in Achabum, etc.

Tertio, per bona exempla, et vitam sanctam, atque austeram illorum, qui tibi similes et ejusdem tecum naturæ sunt. Cum enim aliorum sanctitatem et tuam improbitatem vides, sug-

gerit tibi Spiritus talem forte cogitationem. Itane hic tam sancte, tam austere vivit, qui olim amicus et notus meus? Qui nihil unquam grave deliquit? Ego vero tam impie tam mei oblitus? Jacoponus nobilis Tudertinus primum sæculo deditus, cum uxor ejus ex alto cecidisset, et ipse accurrens vestem moribundæ ad meatus animæ laxandos diffibulare conaretur, et sub pretiosa ejus veste, horridum deprehenderet cilicium, præter omnem expectationem, rei stupore attonitus, et quasi extra se raptus, quod similem sibi sæculo addictam credidisset, mox de vitæ mutatione cogitare cœpit, et fortunis omnibus in egenos distributis, familiæ S. Francisci nomen dedit, Rader. p. II. virid. capit. III. Sic arguit nos Spiritus per innumera honorum exempla, per vitam et habitum Capuccinorum, Carthusianorum et similium ordinum, quasi dicat: Ecce isti non confidebant sibi, ut natate auderent per mare sæculi, sed pontem vel navem quæsiere: et tu cum tanto onere tam periculose natate audes? Ecce tibi anachoretas et ascetas priorum sæculorum! Quam rigide jejunarunt! Quam vigilarunt in orationibus! Quas subiere penitentiis! Quam attrivere carnem suam! Et tu ne modicum quid horum facere aut pati voles?

Quarto, per clades et castigationes, præsertim publicas et divinitus immissas. Quemadmodum enim Absalon necdum patri reconciliatus cum sæpius rogasset Joab, ut pro se apud patrem preces interponeret, Joab vero dissimulasset; tandem misit servos suos, qui segetem ejus incenderent, ac venire ad se compellerent, sicque tandem obtinuit ab eo quod voluit, II. Regum. XIV. Ita agit etiam Spiritus sanctus. Quos enim blanditis corrigere non potest, verberibus tandem castigat: et hoc ipsum magna etiam gratia est. Quoties ergo advertis, post peccatum immitti tibi aliquam plagam, subeat tibi cogitatio, hanc esse redargutionem Spiritus sancti.

III. Docere omnem veritatem. Et primo, docere omnia, quæ ad fidem et mores pertinent, ad Ecclesiam regendam et Scripturas intelligendas; quod agit cum per pontifices Ecclesiam regit, et res fidei docet; pontificem summum dirigit ne in fidei articulis decernendis errare possit. Secundo, suggerere quæ prius ipse docuit; quod fecit cum apostolis suggessit verba et sermones Christi, ut ea prædicare, litteris consignare, et absque errore posteris tradere possent; quomodo enim alias tam exacte scire et meminisse potuissent tot Christi parabolas, gesta, miracula, etc. Tertio, annuntiare futura per ora prophetarum, quales semper in Ecclesia fuere.

Docuit itaque Ecclesiam primo, gesta, et dic-

ta Christi, inspirando ea apostolis, et conservando sacras Scripturas et traditiones, quamdiu durat Ecclesia. Quod certe non parum admirandum est, cum evangelistæ ipsissima Christi verba, et Joannes primum post quinquaginta annos a Christi ascensione, nobis tradiderint. Ad hæc constat veterum hæreticorum libros omnes periisse, nec reperiri eorum dogmata, nisi quantum a nostris referuntur, cum tamen ss. patrum libri adhuc supersint innumeri imo et ethnicorum. Nimirum Spiritus sancti providentiæ debemus, quod erroneos illos libros ab oculis nostris remove et extirpare voluerit, ne venenum inde sugeremus.

Secundo, docuit pontifices summos et Concilia quid in rebus fidei decernere deberent. Nihil enim ad hæc usque tempora deprehensum, quod ab ullo pontifice vel legitimo Concilio circa fidem erratum esset: quæ vero illis contradicebant, hæreses extinctæ sunt.

Tertio, instruxit contra ethnicos et hæreticos, ut scirent quid respondere deberent illis, juxta id Matt. X. *Cum steteritis ante reges aut præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hinc tam graviter, constanter et nervose disserebant ss. martyres, etiam mulieres et illitterati coram tribunalibus, ut multos converterent, cæteros in admirationem raperent. Similiter innumeros Ecclesiæ dedit viros doctrina præstantissimos. Docuit rationem expugnandi hæreses per Concilia, disputationes, censuras. Et fere ad singularum hæresum exordia singulos excitavit viros sanctos, qui sua sanctitate et doctrina totam hæresin extinguere, uti non ita pridem S. Ignatium ejusque societatem contra Lutherum.

Quarto, docuit ferre sanctas et utilissimas leges ad regendam Ecclesiam omni culpa et labe vacuas, ut patet ex ss. canonibus, in quibus nihil non sanctum et rationi ac legi Dei convenientissimum atque saluberrimum reperitur: cum contra hæreticorum, ethnicorum et Mahumetanorum, necnon Judæorum dogmata, et statuta innumeris erroribus et spurcitiis referta sunt. Docuit autem variis modis. Per lumen internum illustrando intellectum, per Ecclesiam ejusque doctores ac prædicatores, per pios et eruditos libros, quos Ecclesiæ providit in omni genere doctrinæ innumeros et excellentissimos. Quæ enim uspiam secta, quæ ita abundet viris doctis et libris, uti Ecclesia? Per exempla tot sanctorum ex universo orbe, quorum acta fideliter conscripta ante oculos nostros jacent. Per miracula quibus innumeri fidem confirmavit, et in fide Christianos. Quis

enim fidei articulus, qui non miraculis stabilitus sit? Per revelationes et prophetas. Sic per visionem S. Antonio ostensam, docuit Ecclesiam, futuram Arianorum cladem, quando ille vidit altare Dei mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium fœtibus omnia dissipabant, ut refert Athan. in ejus vita.

IV. Clarificare Christum et testimonium de illo ferre. Christo prædicanti non credebant omnes, quia dicebant: *Tu de teipso testimonium dicitis: testimonium tuum non est verum.* Joann. VIII. Nunc ergo Spiritus sanctus de ipso tulit testimonium, ut eum clarificaret, hoc est, toti mundo ostenderet, verum Deum et hominem, ejusque fidem et doctrinam veram et celestem esse. Fecit autem hoc multipliciter. Primo, dando apostolis et prædicatoribus os et sapientiam: *Ut non possent eis resistere omnes adversarii eorum,* quemadmodum prædixit Christus, Luc. XXI. S. Antonius cæteroqui rudis tam efficaciter confirmabat dogmata fidei christianæ, ut philosophi gentiles qui ejus ruditatem venerant irrisuri, stupentes abirent. S. Spiridion simplicis litteraturæ vir recitata fidei confessione, superbientem philosophum et vicit, et convertit, apud Sozom. ut alibi recensui.

Secundo, animando martyres, ut in medium prosilirent, et Christum contra ejus hostes et obtrectatores, defenderent ac prædicarent, tyrannos confunderent, arguerent, et tortoribus insultarent. Quæ certe ratio clarificandi Christum præstantissima est, cum nimirum sanguine subscribitur factæ confessioni. Sic Publica vidua cum aliis virginibus transeunte Juliano imp. apostata, in ejus contemptum occinebat illi versiculum illum: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: et: Similes illis fant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in illis,* Theodoret. lib. III. c. XVII.

Tertio, instigando Ecclesiam ut fidem ejusque articulos publice profiteatur contra hæreticos, ut sic ipsi hæc videntes confundantur, et contabescant, quo modo instigavit pueros ut Christo acclamarent: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* ad confusionem Judæorum Christo invidentium. Ita inspiravit Ecclesiæ, ut vita monastica et religiosa sub variis institutis, et regulis per orbem undique propagaretur contra hæreticos, qui virginitati detrahebant et votis monasticis: ut in honorem sanctorum ejus passim templa erigerentur, et eorum festa celebri solemnitate peragerentur, eorumque laudes, et vivendi ratio pro concione populo proponerentur, contra illos, qui sanctis debitum negant cultum: ut festum corporis Christi solemnissime perageretur contra Sacramentarios: ut passim pro defunctis maxima contentione suffragia

fierent a fidelibus: ut processiones et litanie instituerentur, sacræ cæremonie disponerentur ad divinum cultum, et devotionem populi promovendam: ut episcopatus et præposituræ opulentissimis patrimoniis erigerentur, quo se defendere contra hæreticos possent.

Quarto, inspirando Ecclesiæ contemptum et abrenuntiationem sæculi: ut pro amore Christi ad eum imitandum et digno servitio colendum, innumeri cujuscumque status et conditionis, solitudines peterent, monasteriis se includerent, aliorum directioni totos se permitterent: in maxima austeritate, paupertate, et vitæ innocentia Deo servirent. Quæ res nisi a Spiritu sancto esse non poterat, et Christi gloriam mirifice amplificabat tamquam auctoris et institutoris omnis perfectionis.

Rogemus ergo Spiritum sanctum, ut sit nobis ejusmodi ignis, ut nimirum consoletur nos; arguat nos, doceat nos, et glorificet in nobis Christum per bona opera et sanctam conversationem.

CONCIO III.

ITINERA ALIQUOT BENE PRÆCOGITANDA.

- I. Iter ad templum vel sacramenti susceptionem. —
- II. Iter ad somnum. — III. Iter ad militiam, matrimonium, dignitatem. — IV. Iter ad peccatum. — V. Iter ad magos et veridicos. — VI. Iter ad hæresim. — VII. Iter ad senectam et mortem.

THEMA.

Quo vadis? Joan. XVI.

Videtur in hoc evangelio Dominus male fuisse contentus cum discipulis suis, quod abiturum ad Patrem adeoque ad mortem non interrogarent, quorsum iret; quasi hoc nihil aut parum esset, ad mortem et ad Deum ire. Pejus adhuc nobiscum contentus erit Dominus, si cum nos ipsi magis et magis in dies ad mortem accedamus, adeoque ad districtum judicem nostrum, nunquam interrogemus nosmetipsos: Quo vadis? quasi hoc nihil sit, pergere ad mortem et judicium divinum. Ecce ergo dixit Ecclesiasticus, c. XVIII. *Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem?* Solemus nos mortales fere interrogare alios, nos ipsos vix aut nunquam. Cum nobis quispiam obviat, hoc primum interrogamus, quorsum tendat? Et cum nos ipsi periculosa sæpe itinera suscipiamus, nunquam interrogamus nos: Quo vadis? Sistamus ergo gradum, et hujusmodi itinera aliquot bene expendamus.

I. Quo vadis, cum ad templum, orationem vel sacramenti alicujus susceptionem pergis?

Nonne ad Deum et res divinas vadis, ideoque serio tibi attendere debes, ne cum peccato aut irreverentia illuc vadas? Etenim si gentilibus olim lex ejusmodi posita fuit, quam recenset Cicero, 1. 1. de legibus: *Ad divos adeunto caste, pietatem tenento, opes amovento: si quis secus facit, Deus ipse vindex esto.* Quanto magis decet, ut hoc Christiani faciant, cum ad Deum verum adeunt? Similiter Hesiodus canit: *Illotis manibus sacra tractare est nefas.* Hinc et olim Christiani templum ingressuri, manus lavabant, ut monebantur puras ad Deum levare manus in oratione, et quia illis in formam crucis complicatis, eucharistiam suscepturi erant, ideo prae foribus ecclesiae positum erat vas aquae ad purificationem. Pro quo nunc remansit vas aquae benedictae, qua dum ingressi templum, aspergimur, admonemur, ut peccatis renuntiantes, puras ad Deum afferamus animas. Propterea etiam olim candidis induti vestibus, ecclesiam ingrediebantur, ut docet S. Chrysost. hom. XXV. in Matth. Hanc ob causam altare in templo Salomonis formam leonis praeferebat, leoninis consistens cruribus; ideoque *ariel*, id est, *leo Dei* vocabatur, Ezech. XLIII. ut scirent homines cum timore et tremore, cum humilitate et innocencia accedendum esse ad Deum, ut qui similis sit leoni, qui in alios quidem saevit, prostratis tamen parcat et infantibus, teste Plinio, l. VIII. c. XVI. Ita enim Deus humilibus et innocentibus est placabilis, superbis vero et reprobis austerus. Hanc ob causam sapiens ille Publicanus in templo illo orans, non appropinquavit ad altare, sed retro stans, deprimebat vultum, et cor suum Deo prosternebat dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Contra vero Maria Aegyptiaca adhuc vivens, impudice cum ad illaqueandos juvenes, superbe adornata, in festo exaltationis s. crucis templum ingredi vellet, ipsa caeteris omnibus intransibus, ter quaterque occulta vi repulsa fuit, nec ullo conatu intrare potuit, donec in se rediens, scelerum suorum culpam agnosceret, pectus tunderet, et de vita emendatione cogitaret, Sur. tom. II. in vita.

Similiter cum sacramentum aliquod suscipitur, purificandus est prius animus ab omni peccati labe ne fructus et gratia sacramentalis obicem reperiat in eo. Ut enim asseres purgari et dedolari debent ad hoc, ut glutino uniantur, ita animus noster purificari, ut glutino gratiae purissimo Deo jungi et uniri possit. Deinde, ob reverentiam sacramenti, si enim illotis manibus non facile mensae assidemus, ut cibum naturae debitum sumamus, quanto magis cum ad mensam Dei assidemus, et cibum divinum ad caelestem, vel aliud sacramentum percipimus? Ut ergo olim viri christiani eucharistiam lotis

excipiebant manibus, mulieres vero purissimo linteo tectis (ut patet ex Conc. Altisiodor.) sic nos puro corde suscipiamus sacramenta. Id vero omnium maxime observandum in sancta communione: *Qui enim manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit*, 1. Cor. XI. Ibi undique nobis angustiae sunt, Nisi enim comederimus, mors nobis est: si indigne comederimus, iudicium manducabimus. Prosterne namur ergo ante leonem nostrum cum centurione, dicamusque: *Domine, non sum dignus, etc.*

II. Quo vadis, cum is vespere cubitus? Nonne ad fratrem mortis, ut dicebat Diogenes? Et quid si forte frater fratrem amplectatur, et tu mane non resurgas? Quam multis id evenit? Nonne in somno occisus Isboseth, II. Reg. IV. Holofernes, Jud. c. XIII. Sisara, Jud. IV? Quomodo tu cum peccato cubitus audes ire, potes et dormire? Epaminondas dux quempiam et vigilibus somno oppressum cum offendisset, gladio transfixit. Objurgatus ob tantam severitatem: *Talem, inquit, cum reliqui, qualem inveni*, Plut. Quid si etiam Deus te in peccato dormientem talem relinquit, qualem reperit? Deinde nocturno tempore facilius peccatur; cum non plane vigilat ratio, ideoque pravi motus liberius exurgunt et tumultuantur, ex quo daemon nobis facilius illudere potest. In somno attonsus fuit Samson a Dalila et fortitudine spoliatus, Jud. XVI. Saul dormiens hastam et scyphum perdidit, 1. Reg. XXVI. Quare sicut canes, antequam decumbant, prius aliquoties circumeundo stratum sibi accommodant: ita nos per conscientiae examen prius vesperi circumire debemus diem, quem transegimus, et si quid ibi asperum vel distortum invenerimus, per actum contritionis complanare, ut mollius cubemus, nullius conscientiae stimulis agitati. Oviculae procubiturae in genua prius se demittunt: ita nos per orationem praeviam pergere ad somnum decet.

III. Quo vadis, cum ad militiam, ad matrimonium, ad dignitatem, aliumve statum, aut iter periculosum pergis? Nam alto mari te credis, ubi primo bene tibi attendendum quo tendas. Qui ad polum arcticum navigant, buccinam (constellationem aquilonarem) intuentur: qui vero ad antarcticum, crucem (constellationem meridiionalem) aspiciunt. Ita qui, v. g. mihnam sectantur, vel praedium innotum ad gloriam tantum, avaritiam, praedam, libertatem, etc. aspiciunt: ad noctem illam profundam et aeternam militant. Qui vero cum Constantino Magno militaturi crucem intuentur, id est, gloriam Dei et Ecclesiae defensionem, ad meridiem aeternum perveniunt, et vincunt, etiam victi.

Secundo, ad scopulos attendendum, ad peri-

cula peccandi, quae in bello plurimae. In medio enim laqueorum ingrediuntur milites: nec tot habent hostes corporis, quot insidiatores animae. Quare sicut David contra Goliathum pugnaturus, accepit baculum et fundam, ita miles assumat crucem et rosarium, seu orationem, saltem jaculatoriam, qua quinque id est, pauca verba precatoria ad Deum crebro tamen ejaculetur. Sine ejusmodi funda nullus miles inveniri debet.

Tertio, ad mortem perpetuo sibi imminentem. Ut enim navigantes a morte vix uno palmo absunt, ita et militantes. Ne sint: *Qua si equus impetu vadens in praedium, ut ait Jeremias, c. VIII. Salutat enim equus ad praedium, quia nescit quo vadat.* Ipsi dicere possunt Christo id Ps. XLIII. *Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Viderint ergo ut semper sanae sint conscientiae, non minus, quam periculose aegrotant.

Similiter qui ad matrimonium vadunt, cogitent se ire ad religionem omnium austerissimam, in qua nihil non pati aequo animo debeant, si pacem habere velint. Ut ergo quilibet, antequam religionem ingrediatur, rigidam praesertim, prius bene cogitat, quomodo in ea perseverare possit, adeoque juxta Domini consilium, an habeat sumptus ad perfectionis turrim aedificandam, et ad hoc novitiis datur integer annus; ita facere deberet, qui conjugium inturus est. Abbas Nesterio, in vitis pp. l. V. c. XV. intrans monasterium, dicebat sibi ipsi: « Deinceps tu et asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulatur, sic et tu. » Hinc factum, ut cum summa pace, silentio et patientia semper vixerit in monasterio. Hoc ipsum cogitare deberent, qui se despondent, ut nimirum asini sint ad quavis adversa toleranda resoluti et parati.

Nec minus attendere debent, quo vadant, qui ad dignitates et praelaturas vadunt. Ascendunt enim in tectum quodammodo, et super illo ambulat. Vae illis, nisi vigilant. Qui super men- sam voluntant, magis periclitantur, quam qui in terra, uti ostendit quidam vir sanctus juvenis, nepoti apud S. Hieron. in reg. monach. cap. XV. ita qui in honorum fastigiis constituti sunt, magis obnoxii sunt lapsuum periculis.

Similiter qui maris navigationem, periculosam praesertim, suscipiunt, cogitent illud Ariacharsis apud Laert. l. 1. c. IX. se non plus quam quatuor digitis a morte distare. Quocirca vetus fidelium consuetudo erat, ut navigaturi prius de peccatis confiterentur, et cum Deo in gratiam redirent: conscensuri etiam navim, prius flexis genibus orarent, ut fecere cum S. Paulo navigaturus, etiam ii qui deducebant eum ad navim, Act. XX. et XXI. Idemque testatur adhuc fieri

Nicolas Trigautine, in via Gasp. Baezaei, l. 1 c. V.

IV. Quo vadis, cum manifesta peccandi pericula adis? Nonne sicut bos ad macellum? Sic enim Sapiens, Prov. VII. de tali, qui illectus a muliere impudica trahitur in rete, ait: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lascivians, et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, etc.* Existimant talia pecora se ad pascua amena duci, cum ducuntur ad macellum: sic qui ad peccatum et peccandi pericula pergunt. Scimus angelum Balaamo obstitisse in via stricto gladio, minitantem ne quid moliretur contra praecceptum Dei in Israel, Numer. XXII. *Ego veni ut adversarer tibi*, inquit, *quia perversa est via tua, mihique contraria: Idem tibi loqui elam in corde tuo angelum custodem, cum ad malum pergis, certo tibi persuadeas. Siste ergo gradum et cogita, quo tendas, quia ad infernum tendis.* Exemplo est juvenis ille Zwollensis, in Trajectensi episcopatu, cui angelus custos, quod perversam societatem sectatus, in praesentissimum peccandi periculum lapsus et vix ereptus sit, colaphum impexit, in speculo magno exempli fit. angelus, ex. XX. Pro ejusmodi angelo missus fuit impudico juveni S. Ignatius Loyola, quando tendentem ad turpes amores, in laeu frigidissimo immersus transeuntem, noctu inelamavit: « Perge miser, perge ad tuas fetidissimas voluptates, impendentem capiti tuo ruinam non vides? Instantem pestem non perhorrescis? Hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec justissimum Dei in te furorem paratum avertam. » Exterritus hac voce juvenis pedem retulit, et impudicam familiaritatem rescidit, Ribad. l. V. de ejus vita, c. II. Pedem et tu referes, si hoc idem cogites.

V. Quo vadis, cum ad magos, ariolos, et magicas superstitiones pro remedio vel consilio adis? Nonne ad ipsummet daemone, hostem tuum infensissimum? Ut enim perinde est, vesci idolythis ac idola venerari: ita perinde est uti rebus magicis, atque recurrere ad ipsum daemone. Ab hac insania dehortatur nos Deus, Isaias c. VIII. inquit: *Cum dixerint ad vos: Quaeite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis: Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis et mortuis? Ad legem magis et ad testimonium, q. d. numquid non est Deus in Israel, a quo oraculum exquiri de futuro eventu queat? Ad legem potius, ac arcam et propitiatorium recurrendum vobis: hic vepeccatis confiterentur, et cum Deo in gratiam redirent: conscensuri etiam navim, prius flexis genibus orarent, ut fecere cum S. Paulo navigaturus, etiam ii qui deducebant eum ad navim, Act. XX. et XXI. Idemque testatur adhuc fieri*